

ac pie utentium, indeque efformandam amicam harmoniam omni manu duxisset. *Coeli enumerant gloriam Dei - - scientiam. Ps. XIX. 2. f. Laudant Almum Creatorem omnes Angeli, omnes Exercitus ejus, sol, luna, stenes cum pueris.* Ps. CXLIIX. Eo quod non ad uagam identitatem sed, ad scitissimam distinctionem parata; neque proinde de Communione indiscreta participant, aut adeandem apta sunt. Admirabilem istam harmoniam adumbrat Augustinus: *De Civitate Dei. Lib. II. Cap. XXI.* Ita resvarias in proprietatem traductas voluit Numen, & concordia suavi convenire omnia voluit Deus rerum separatarum: Ubi namque unitas & communio foret rerum, ibi & unus omnium debuisset esse animus, una ac eadem usus rerum proportio, unum votum eademque sors, & quam difficilis fuisset in statu primævo Communio Bonorum, eo & multo difficilior in statu lapsus, nec pauperis aut divitis, nec potentis aut invalidi, nec obligantis nec obligati, nec Juris nec Injuriarum fuisset distinctio. Consimili ratione, quæ ad acquisitionem & amissionem, ad utilitatem & damna referenda sunt, finibus suis exularent. Hinc igitur introducta Communione Bonorum, abolenda tota socialitas, omnia Jura, omnis lex, & Saturnia regna redirent.

§. XVI.

Progrederior cum CEL. AUTORE, & ad ipsius §. III. ubi de *natura Generis humani agere pergit, inquisiturus: Anne & hæc Communioni rerum omnium servanda sit idonea?* Ne vero Tractatio excrescat, per numeros agam. Novi igitur sic.

(a) De